

Quib. mo-
dis appa-
ret in dia-
bolus.

Secundo inuisibiliter formado vocem audibilem, sicut apparuit B. Francisco, uolens eum retrahere a penitentia rigore.

Tertio iudicium sensuum pervertendo, puta faciendo apparere quod non est secundum ueritatem, uel non apparere id quod est &c. uel aliter apparere qua est, & multis alijs modis illusiones faciendo, sicut patuit libro 2. ubi demones §. 82. Ideo I. Ioan. 4. scribatur: Noli te omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint, propter quod Iosue §. angelo apparuit sibi in campo hierico, dixit interrogando: No ster es an aduersariorum: &c. In omnibus uero patet Dei charitas, quae facit etiam cum tentatione prouentum. I. Corinth. 10.

Quomodo autem discerni possint ab angelis, uel malus sit angelus qui apparet, habetur per tractatum lib. 2. ubi apparitio §. 4. hoc ergo non repeto amore breuitatis.

VTRUM liceat alicui requirere ab aliquo nostrate, quod sibi reuelat animae suae post mortem statum, scilicet salutis, aut damnationis &c. Respondetur secundum Ray cum Thom. quod libet 2. de anima separata. q. 2. quod statum alicuius post mortem ab ipso moriente requirere conrigit tribus modis. Primo cum presumptione, puta cum quis superbe, uel presumptuose de se confidens hoc petit, & talis peccat. Secundo cum dubitatione, puta cum quis dubitat de futuris praemijs, uel penis, & ideo petit, & iste etiam peccat. Tertio ex desiderio deuotione, scilicet requirendo pie, & humiliter uera fide, & talis petens ab aliquo, ut post mortem sibi appareat, non peccat, praesertim si Dei uoluntatem in hoc praeponat, uidelicet intelligendo, uel dicendo ut sibi appareat si Deo placuerit: Cuius ratio est, quia cum omnes homines naturaliter scire desiderant. ex I. Metapoy. ergo si quis naturali desiderio mouetur ad sciendum aliquid de uita futura non peccat, & per consequens si uult requirere ad impietionem desiderij naturalis non est peccatum, aut etiam si ex amore & deuotione ad sanctum aliquem, uel ad uiram beatam obtinendum, praesupponendo Dei uoluntatem, in hoc tale non peccat, nisi quis, ut dictum est, su-

perbe presumeret hoc requirere, aut ex infidelitate, uel dubitatione fidei. Unde & Deus amorosus ex charitate descendens uult scire ut fiant tales apparitiones animarum post mortem pro salute & deuotione fidelium, ut legitur in multis exemplis: Et nos ergo discamus recamare Deum, qui in omnibus suis operibus, & ordinationibus semper amat nos.

De annunciatione Domini. a.



ANNUNCIATIO domini, primo uidelicet denuncio.

Quod mira & inmensa Dei charitas commendatur in ipsa annunciatione dominica per Gabrielem ad Mariam facta per singula uerba.

QUALITER autem claret mira, & Dei charitas in annunciatione Domini ex Euangelio.

Notandum quod singula uerba sacri euangelij, quibus haec sacrosancta incarnationis dominicae annuatio descriptur, sunt plena flagrantia charitatis diuinae, ut patet prosequendo. Primo quia dicitur, Missus est, & quod a Deo missus est. Secundo quia angelus missus est. Tertio quia Gabriel missus est. Quarto quia sine pluribus solus Gabriel missus est. Quinto quia in ciuitatem Galileae missus est. Sexto quia in Nazareth missus est. Septimo quia ad uirginem missus est. Octauo quia ad desponsatam uiro missus est. Nono quia ad sponfam Ioseph de domo Dauid missus est. Decimo quia ad Mariam missus est. Undecimo quia ad orantem in cubiculo clauso hostio missus est. Duodecimo quia ad salutandum in forma uisibili decenti modo, & tempore missus est: Haec sciatum Luc. 1. ca. De istis eger singule, & ad haec pertinentissime declarabitur in subscriptis quaestionibus.

Charitatis diuinae fragrantia describitur in euangelio de annunciatione.

Quod mira Dei charitas claret in mittendo nuncium incarnationis ad uirginem.

QUERITUR nempe utrum debuit mitti nuncius aliquis pro Christi incarnatione & quare: quia cum Deus immediate illabatur animae, utpote sibi intimissimus, secundum August. Pro Deo ergo

August. aduentu

§. 36